



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**In Vaticinia Isaiae, Prophetæ Clarissimi, Paraphrasis,
Heroico carmine conscripta**

Carpenteius, Joannes

Antverpiæ, 1588

Cap. 52.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68688)

Orix è capta-
rum generc.

*Pérque vias, vicos, & compita, perq̄ plateas
Vt laqueo constrictus Orix, & arundine fixus
Getula, viles animæ malè humatæque turba,
Proiecti, infletu, nudique, inopésque iacebunt.*

²¹ *Siste igitur, penitusque animo mea percipe dicta*

*O Solyme, rationis inops, non pota, quòd vna
Expressum prælo biberis spumante cruorem,*

²² *Sed magis irati vultu perstricta Tonantis:*

*Si mea verba vagis non des rapienda procellis,
Sed morem submissa geras, humiliisque monentem
Audieris, iam non nostro medicata furore*

Pocula potabis diram facientia mortem;

*Vas aliud, craterq̄, nouus, noua vina propinans
Fundetur, fluet vnde salus & vita perennis.*

²³ *Per me, ego, (ait Dominus) iuro, per meque meumq̄,*

Quod iurare timent homines & fallere numen,

Per me (inquam) bello tueor qui iura meorum,

Hic plenus mærore calix, hic mixtus amaro

Felle schyphus, confide, tuos transibit ad hostes;

Vnde bibent plenis præsentia toxica buccis,

Ceruices quicunque tuas flexere premendo,

Collaque calcarunt nimium patientia freni.

Cap. 52. ¹ *Ergo age, tollere humo, fædòque è puluere corpus*

Erige, surge iugo Solyme iam libera tristi,

Et solitis audax accingere fortiter armis,

Et vidui posito luctus squallore, iuuenta

Vestimenta tua, & frontis decora alta resume.

Pone metum; non te posthac regnator habebit

Præputio turgens, immunditiæque prophanus.

² *Iámque situm, cineremque tuo mea filia peplo*

Decute funereum, gelidòque cubare sub astro

Desine: quid rigido perstas tua ponere saxo

Membra? sede, ò Solyme, soliòque recumbe paterno,

Iámque diu nimium seuo captiua sub hoste

Indignè tenera quam fers ceruice catenam

Frangere manu: ³ Deus est auctor, Deus hac tibi fatur:

Quæ te prima tulit tellus, à stirpe parentum;

Hæc eadem reducem (nec longa mora) vberè leto

Accipiet: nam si truculento addicta tyranno

Seruisti gratis; gratis te crede redemptam,

Non pretio, merito-ve tuo; mihi gratia soli,

Omnia per solui qui debita solus, habenda est.

⁴ *Fabor enim (quando hæc animum tibi cura remordet,*

21 Idcirco audi hoc paupercula & ebria non à vino.

22 Hæc dicit dominator tuus Dominus, & Deus tuus, qui pugnabit pro populo suo, Ecce tuli de manu tua calicem soporis, fundum calicis indignationis meæ, non adicies vt bibas illum vltra.

23 Et ponam illum in manu eorum qui te humiliauerunt, & dixerunt animæ tuæ, Incuruare, vt transeamus: & posuisti vt terram corpus tuum, & quasi viam transeuntibus.

Cap. 52.

1 Consurge, cõsurge, induere fortitudine tua Sion, induere vestimentis gloriæ tuæ Ierusalé ciuitas sancti; quia non adicies vltra vt pertrãseat per te incircumcisus & immundus.

2 Excutere de puluere, cõsurge, sede Ierusalém: solue vincula colli tui captiua filia Sion.

3 Quia hæc dicit Dominus, Gratis venundati estis, & sine argento redimemini.

4 Quia hæc dicit Dominus Deus, In Aegyptum descēdit populus meus in principio, vt colonus esset ibi: & Assur absque vlla causa calumniatus est eum.

Sic in Psalmo 43. Ven-
didisti popu-
lum tuum si-
ne pretio.

Tu penitis ea fige animis) repetámque tuarum
Longiùs historiam rerum, quæ fata subinde
Teque tuosque manent, paucis ex ordine pandam.

Fortè patres vestri, fatis urgentibus, agros
Dum profugi relinquunt patrios, fugiuntq; prementem
Obscæ nam sua rura famem, Nilotica regna
Deuenère, agmen modicum, puerique senesque
Et vernæ imbelles, cum femineo comitatu.

Hic, aliquot regum dono, non multa remota
Iugera telluris, coniunctaque pascua nacti,
Innocuum cultis duxere in saltibus æuum,
Pastores lanæq; ouium lactisque magistri:
Sed mox suspectos opibus, numeroque, sequentum
Non tulit ambitio regum; multosque per annos,
Seruitium lateris crudele tulere coquendi:
Eripui fateor, quamuis nil tale merentes,
Et noua regna dedi pulsis habitanda colonis.
Sed non hi longum latati munere tanto,

In præadam Assyriis mox concessere tyrannis:
Quos iterum post lustra aliquot miseratus, auitis
Sedibus, exosus dominantum facta, remisit.

5 Et nūquid mihi est
hic, dicit Dominus:
quoniam ablati sunt
populus meus gratis?
Dominatores eius
iniquè agunt, dicit
Dominus, & ingiter
tota die nomen meum
blasphematur.

6 Propter hoc sciet
populus meus nomen
meum in die illa: quia
ego ipse qui loque-
bar, ecce adsum.

7 Quàm pulchri su-
per montes pedes an-
nuntiantis & prædi-
cantis pacem: annun-
tiantis bonum, prædi-
cantis salutem, dicen-
tis Sion, Regnabit
Deus tuus!

Et quid nunc faciam? num dissimulabo dolorem,
Cum funesta meus gemat inter vincula popellus,
Arbitrium victoris heri non sponte secutus?
Aut (qui nunc hominum status, & quæ tempora rerum)
Imminui - ne meum patiar sine vindice numen?
Sic mea maiestas, sic gloria, visque decusque
Ibit in opprobrium gentes impune per omnes?
Testor ego hoc ipsum nulli violabile numen,
Faxo presentem victor me sentiat hostis;
Et qui victori stricta sub compede seruit,
Mox liber populus, coramq; loquentis ab ore
Pendeat attonitus, & nostrum numen adoret.
Nec iam ultra differre placet: confidite, vester
Vester ego Dominus, (ni fortè negarit) adsum,
Fons veri, lux iustitiæ, via recta salutis.

O quàm grata piis venient hæc nuncia? quantum
Latitiæ toto passim fundetur in orbe?
Ferte citæ lymphas, & lacte meroque recenti
Formosos lauitote pedes, quos monte propinquo,
Nympha ô Isacides, ad vos properare videtis.
Ille bona bellum mutatum pace reportat,
Ille bonam pacem denuntiat, ille salutem.

Historiam hæc
habes Genes.
cap. 47.

Vide exposi-
tionem huius
loci epist. ad
Rom. cap. 10.

Præ-

*Prædicat æternam vobis, murisque Sionis,
Atque his affatus blandè solabitur ægram:*

*Pone metum, Rex ecce tuus tibi venit, adeptus
Terrarum imperium, tua qui rediuiua reponet
Mœnia, defensamq; dabit prædone subactò.*

*8 En speculatores summis de turribus altum
Proclamant, signumque manu plausuque sonoro
Dant, magnum aduentare Deum; mox & noua dicent
Carmina laudantes; nam coram sancta videbunt
Ora Ducis summi, capta qui iura Sionis
Afferet, & Solyma & genus omne in pristina reddet.*

Hanc conso-
lationem ex-
pectauit Si-
meon iustus
apud Lucam.

*9 Gaudete o Solymi, simul & celebrate frequentes
Tam mitem Dominum, cuius solatia fessi
Tempestiua modo rebus sensistis in arctis,
Cum vos immani placatus ab hoste recepit.*

*10 Idq; ingens, mirandum, & inenarrabile factum
Esse palam voluit cunctis, quos vesper & ortus,
Quos gelidis Aquilo, madidis Notus imbrifer alis
Perflat, ne nullus terrarum nesciat axis
Quanta suæ sit vis, quàm magna potentia dextra.*

*11 Ite igitur, quando iam libertatis aperta
Conditio, portæq; patent, ite ocyus omnes
O fortunati, nec respectate, sed isthinc
Pro se quisque fuga laxis rapiatur habenis.
Nulli, qui saltem sapiet, mora longior obsit,
Summum in ea discrimen erit: procul ergo prophanis
Pollutisque locis, quacunque est sacra supellex:*

D. Hierony-
mus hæc de
Apostolis in-
telligit: & per
vasa Domini,
sacramenta
nouæ legis, &
armaturam
scripturarum.

*Vosque prius mundi, & puro de flumine loti,
Vasa dicata Deo purgata piatæque ferte,
Et priscis aris, veterique reponite sede.*

*12 Neue sit hæc instar trepidi fuga sæda tumultus,
Et palans iter, & terroribus interceptum
Continuis, quale olim Arabum per inhospita tesqua
Fecistis, sed pompa magis festusque triumphus;
Ipse Deus vestrum præcedet signifer agmen,
Et dispalatos cogens in castra maniplos,
Dux eadem bonus Ifacidas sub signa reducet:*

*13 Vnde tui terras fama ibit honora per omnes,
Nate Deo, Patris vnigena & certissima Proles,
Et mentis patriæ interpres, mens & Patris idem;
Cuius transcendens summos sapientia calos,
Magnum opus hoc, nullique hominum, nullique deorū
Intellectum absoluit opus, quod nulla silebunt*

Redemptionis
opus.

8 Vox speculatorum
tuorum, leuauerunt
vocem, simul lauda-
bunt: quia oculo ad
oculum videbunt cum
conuerterit Dominus
Sion.

9 Gaudete, & laudate
simul deserta Ierusa-
lem: quia consolatus
est Dominus populū
suū, redemit Ieru-
salem.

10 Parauit Dominus
brachiū sanctū suū
in oculis omniū Gen-
tium: & videbunt om-
nes fines terræ saluta-
re Dei nostri.

11 Recedite, recedite,
exite inde, pollutum
nolite tangere: exite
de medio eius, mun-
damini qui fertis vasa
Domini.

12 Quoniam non in
tumultu exhibitis, nec
in fuga properabitis:
præcedet enim vos
Dominus, & congre-
gabit vos Deus Israël.

13 Ecce intelliget ser-
uus meus, exaltabi-
tur, & eleuabitur, &
sublimis erit valde.

Tem-

Tempora, nulla dies memori delebit ab aeo.

14 Sicut obstupuerunt super te multi: sic inglorius erit inter viros aspectus eius, & forma eius inter filios hominum.

15 Iste asperget gentes multas, super ipsum continebunt reges os suum: quia quibus non est narratum de eo, viderunt: & qui non audierunt, contemplati sunt.

16 Iste asperget gentes multas, super ipsum continebunt reges os suum: quia quibus non est narratum de eo, viderunt: & qui non audierunt, contemplati sunt.

Cap. 53.

1 Quis credidit auctui nostro? & brachium Domini cui reuelatum est? Et ascendet sicut virgultum coram eo, & sicut radix de terra sitienti:

2 Non est species ei, neque decor: & vidimus eum, & non erat aspectus, & desiderauimus eum:

3 Despectum, & notissimum virorum, virum dolorum & scientem infirmitatem: & quasi absconditus vultus eius & despectus, vnde nec reputauimus eum.

14 Nam licet ille decor diuini conscius oris, quem laudant elementa, stupet sol, lunaque pernox, Miranturq; polo surgentia sidera utroque, Decolor aspectu, formaque inglorius, & vix Humanam retinens speciem, pro tempore vilis, Et letho informi pallens, sine honore iacebit; Morte tamen victa, roseo formosior astro, Et matutina nitidus mage luce resurget, Rursus in antiquam reuolutus sponte figuram.

15 Quas non ille sui gentes aspergine roris Mundabit? quos ille feros mansuescere reges Non faciet, duris compefcens ora lupatis? Scilicet adueniet tempus, voluentibus annis, Cum, quibus aut scripto aut fama prodente negatum est Nolle Deum, aut illum praesenti voce loquentem Audire, interius propiusque ad sacra vocati Sancta Dei, mota mysteria nube videbunt.

16 Mira loquar, quae posteritas fortasse negabit Credere, nam vatum dictis quis credidit olim Veriloquis? quis nostra lubens responsa recepit? Seu dum victorem canimus, dextraeque potentem In populos ferrum vindex distringere fontes, Seu dum venturum serui sub imagine vilis Praecinimus longè ante diem, frustra que monemus Esse Deum, quamuis moribundo corpore septum?

2 Et tamen abiectus venit, & rerum omnium egenus, Qualis in arenti compactus surculus agro, Quem matre excisum tenera, & radice carentem, Nec vegetant Soles, nec ros alit, aut rigat imber: Omnis enim decor & species euanuit oris, Omnis ei succus defloruit, & vigor, & flos Corporis effæti tenues concessit in auras; Horruitus speciem illius: Proh, qualis ab illo, Quantum mutatus, quem coram cernere, voti Pars erat, & desiderij summa unica nostri!

3 Vidimus o ciues (quid vestra auertitis ora?) Vidimus indignis lacerum crudeliter artus Confossumq; modis, extrema per omnia mortem Oppetere, irrisum, contemptum, & turpibus ora Fædaturum spatibus, animo tamen omnia forti Intrepidoque, necis diræ tormenta ferentem: Atque adeo vultus morientis, & illius ora,

Ora,

Cap. 53.
Hanc scripturam citat Ioan. ca. 12. Euang. & Paulus ca. 10. ad Romanos.

Elegant metaphora sine similitudine.